DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS CARDEN,

Ex Insula Sanctæ Crucis,

SOC. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.
NECNON
PRÆSES ANNUUS.

Inspiratque nocens virus, ———
——— *medio spargit pulmone venenum,*
Atque mali spatium causæ per latius errant.

OVIDII Metamorph.

Die VIII. ante Kal. Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.
1812.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

JOANNI CARDEN,

ARMIGERO,

IN INSULA SANCTÆ CRUCIS DEGENTI,

FRATRI SUO CARISSIMO,

CUI,

OB BENEFICIA

CURAMQUE VERE PATERNAM,

ANIMO GRATO

MAGIS QUAM CONSANGUINITATE

DEVINCITUR ;

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM,

AMICITIÆ NUNQUAM SOLVENDÆ

PIGNUS,

D. D. C.QUE

JACOBUS CARDEN.

JOANNI M'CAUL,

DE CRAIGBANK,

ARMIGERO,

OB AMICITIAM CURAMQUE NON LEVEM,

QUIBUS,

A TENERIS ETIAM ANNIS,

SE SEMPER PROSECUTUS FUIT;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

JACOBO F. CARROLL,

SOCIETATIS PHYSICALIS REGALIS EDINBURGENÆ

SOCIO EXTRAORDINARIO,

ITERUMQUE PRÆSIDI ANNUO;

JUVENI EXIMIÆ SPEI,

AMICIS, UT ANTEA, DECORI,

BONÆ ARTI EMOLUMENTO

HAUD DUBIE, SI VIXERIT, FUTURO;

COLLEGÆ SUO,

SECUMQUE

SUMMOS IN MEDICINA HONORES,

AB HAC ALMA ACADEMIA,

JAMJAM ACCEPTURO;

PATRIAM HIBERNIAM BREVI REVISURO;

SIBI DILECTISSIMO;

QUEM ETIAM,

LONGE FORSAN LONGEQUE SEJUNCTUM,

OLIM MEMINISSE JUVABIT;

HAS PAGINAS CONSECRAT

JACOBUS CARDEN.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.

Summorum in medicina honorum petitor, disputationem medicam eruditorum examini subjecturus, pauca de Rubeola, vel ut quidam nominant Morbillis, scribere decrevi. Hic morbus, et per se interdum exitiosissimus, et multis haud minus mortiferis malis viam sternens, maximam certe curam diligentiamque omnis medicinam facientis aut facturi optimo jure sibi postulat.

Quidam haud parvi nominis medici, nimia antiquorum admiratione virorum capti, et qui fere nihil magistros tantopere venerandos latuisse contendunt, Rubeolæ originem a primis etiam temporibus repetere conantur, veteribus scriptis a vera ac usitatissima interpretatione miro modo detortis. Ab unoquoque tamen talium præjudiciorum immuni fatendum est minime nobis licere, ex testimonio adeo levi, concludere hunc morbum antiquis aut Græcis aut Romanis notum fuisse. In libris HIPPOCRATIS, CELSI, ARETÆI aut GALENI, nulla hujus mentio, certe nulla plena aut non dubitanda descriptio est reperiunda; et si tunc extitisset morbus adeo ab omni alio diversus, semel tantum in decursu vitæ aliquem afficiens, stragemque tam longe lateque ciens, nequaquam credendum est prætermissum fuisse ab hominibus qui, naturæ vestigia diligentissime lustrantes, morbos ante omnia summa cura observarunt et depinxerunt.

Prima ejus notitia quam accepimus, est in scriptis RHAZIS, medici Arabis, qui seculo nono post CHRISTUM natum floruit; nec multis post eum annis plenius ac melius descripsit AVICENNA. Clare igitur constat Arabiam incunabula morbo præbuisse. Exinde vires nactus cum Mahometanorum armis et religione per septentrionale Africæ littus iter fecit: a Mauris mare Mediterraneum transductus, Hispaniam invasit, imperiumque tandem suum per omnes Europæ nationes extendit. Lentum primo fecit iter, ob parum tunc temporis commercii inter varias mundi Christiani gentes. Seculo undecimo flagrantissima exarsit cupido Hierosolyma sacramque Judeæ terram ab Infidis recuperandi, et trecentos fere annos, ceu pestis, per populos Christianos grassabatur. Hæc bella Rubeolæ progressui maxime faverunt: nam milites ab Asia subinde redeuntes nova sæpe importarunt contagia, morbosque hujusmodi ad ultimas Europæ oras tulerunt.

DEFINITIO.

A CULLENO celeberrimo illo medico et nosologo, Rubeola ad classem Pyrexiarum, ordinem Exanthematum, refertur ac verbis sequentibus definitur:

"Synocha contagiosa cum sternutatione, "epiphora, et tussi sicca, rauca. Quarto die, "vel paulo serius, erumpunt papulæ exiguæ, "confertæ, vix eminentes, et post tres dies in "squamulas furfuraceas minimas abeuntes."

Genus in duas species divisit, Vulgarem nempe et Variolodem. Rubeolæ vulgaris haud secus ac variolæ duae cernuntur varietates: Synocha aliam, Typhus gravior alteram comitatur. Speciem variolodem CULLENUS non quod ipse viderat, sed, auctore SAUVAGESIO, in nosologia recensuit; et GRE-

GORIUS noster, longa experientia edoctus, nullum talis morbi exemplum vidit.

HISTORIA.

RUBEOLA incipiente, apparent signa et febris et catarrhi, ac per totum morbi cursum perstant. Primo æger horrore, rigore, sensuque caloris et frigoris invicem alternantis afficitur; sitit; cibum fastidit; lingua albida est et humida; frequentius et validius pulsant arteriæ; molesta urget tussis ac insignis circa præcordia anxietas.

Die secundo vel tertio hæc omnia ingravescunt: plurimum augetur calor; pulsus frequentiores, validiores et duriores evadunt; anhelat æger; sæpe suspirat; nihil imminuitur sitis; anorexia, nausea, sæpe etiam vomitus urgent; dolores quoque diversarum corporis par-

tium, præsertim capitis, dorsi et lumborum. Cutis arescit. Tument palpebræ ; oculi pruriunt, illachrymant, lumen refugiunt, quæque in iis alba esse debent rubescunt. Humor acris e naribus stillat, sternutationem molestissimam ciens, partesque supra quas effluit erodens. Sanguis interdum ex iisdem prorumpit, et breve capitis dolori levamen affert. Fauces aliquando ita inflammantur, ut cibi sine dolore devorari nequeant. Saliva majore copia secernitur. Alvus est modo adstricta, modo soluta : infantes præcipue dentientes stercora liquidiora colorisque subviridis dejiciunt, nec raro morbo comitiali plectuntur. In mulieribus adultæ ætatis menstrua, et uberius solito, oboriuntur. Sopor continuus initium morbi comitatur. Tremores, subsultus tendimum, delirium, coma interdum superveniunt.

Quarto die tumescunt non palpebræ solum, sed tota facies : in fronte erumpunt maculæ, rubræ, exiguæ, pulicum morsus referentes ;

paulatim coalescunt, per totum os serpunt, et inde ad collum, pectus, dorsum, brachia ac cæteras partes pertinent.

Quinto die totum tegitur corpus papulis rubris, confluentibus, quæ in facie tantum eminentes tactu percipiuntur.

Sexto die fusciorem sensim induunt colorem: et in squamulas furfuraceas minimas abeuntes, septimo die omnino discesserunt, nec ulla post se vestigia in cute relinquunt.

Eruptione facta, calor febrilis, dolor capitis et aliarum partium multum levantur: nausea ac vomitus omnino cessant. Testatur SYDENHAM se nunquam vomitum post eruptionem vidisse. Tussis tamen augetur: spirandi difficultas, oculorum rubor et inflammatio, lachrymæ, acris narium humor nihil imminuuntur. Desquamatione incipiente, signa et febris et catarrhi multum mitigantur; et si tunc erumpat sudor, si alvus

solvatur, vel si quæcunque alia evacuatio sponte oboriatur, faustum morbo finem dat. Alvi fluxus tamen, quæ toties subsequitur, si diu perstiterit, non semper ad sanitatem perducit. Sæpe versus morbi finem tussis aggravescit, spiritus ægrius trahitur, et infelix, fractis viribus, nunc prælio impar, morbo succumbit. Sæpe etiam morbillis pulsis et fugatis, alii haud minus metuendi morbi, quibus straverint viam, signa inferunt; scrofula nimirum, tabes mesenterica, phthisis pulmonalis, hydrocephalus, pneumonia, oculorum debilitas vel inflammatio diuturna, cæcitas.

"Hoc peculiare habent morbilli," ait Van Swieten, "quod illis evanescenti-"bus, debito quamvis tempore, febris in-"crescat, tussis augeatur, imo et sæpe pe-"ripneumonia subsequatur."

Hæc sunt solita Rubeolæ indicia; hic cursus quem vulgo sequitur: sed in quibusdam hominibus, et variis temporibus, visa est iter

huic admodum diversum tenere. Hoc fecit epidemice grassans Londini anno MDCLXXIV, ut SYDENHAM memoriæ prodidit. Papulæ modo ante, modo post quartum diem, et citius in humeris cæterisque partibus quam in facie apparuere. Cuticula non in squamulas abiit, nec raro peripneumonia efflorescentiæ statim successit. NICHOLAS ROSEN VON ROSENSTEIN in libro, quem de morbis infantum conscripsit, testatur se vidisse exemplum, in quo febris et catarrhus per dies viginti unum prius adfuerunt quam papulæ erupissent; quo facto, signa omnia mitiora fiebant.

Hanc morbi speciem, utcunque sæpe abnormem, semper comitatur febris synocha; sed interdum Rubeola sese ostendit cum febre typhode et signis putridis. Hanc formam malignam vulgo prænunciant oculi rubri et aqua suffusi, tussis, maxima virium prostratio, somnus interruptus. Postero die febris ingravescit, dolet caput, calor urget intensus, pulsus citatiores, raro pleni, spiri-

tus difficilior, tussis molestissima, exscreatio nulla, cutis arida, fauces ruberrimæ, lingua sordida; in omnibus fere corporis partibus papulæ in conspectum prodeunt, quarto die ut plurimum evanescentes. Desquamatione facta, malum plerumque nullo modo levatur, sed omnia in pejus ruunt, brevi sæpe in mortem desitura. Cadaveribus peremptorum inspectis, sphacelus in variis partibus interioribus sese prodit.

Sub hac forma Rubeola sæviit Londini mensibus anni MDCLXXII autumnalibus, multosque letho demisit, ut in Pyretologia narrat MORTON, cujus hæc sunt verba: "At "locum dedit febris (Συνεχης) morbillis epide- "miis, qui ad instar pestis mitioris nulli "sexui vel ætati parcentes, adeo men- "sibus anni MDCLXXII autumnalibus, Lon- "dini sæviebant, ut tercenti plus minus "inde confecti quaque hebdomade ad or- "cum descenderent. Morbillosa autem hac "constitutione post tyrannidem ad sex men-

"ses durantem, jam demum sub finem hie-
"mis sensim declinante, ac tandem peni-
"tus exulante."

Ab Huxhamo docemur, Rubeolam malignam Plymuthi apparuisse autumno anni MDCCXLV, et versus finem MDCCXLIX, ac ineunte MDCCL. Sæviisse quoque Londini annis MDCCLXIII et MDCCLXVIII in receptaculo infantum expositorum narravit Gulielmus Watson, unus e receptaculi medicis, morbumque luculenter descripsit, in tomo quarto Ephemeridis Londinensis, Anglicè scriptæ, cui titulus Medicæ Observationes et Indagationes. Anno MDCCLXIII, ex centum octoginta ægris novemdecim perierunt; plurimique adeo infirmabantur, ut, viribus aliquantum recuperatis, ad rus necessario mitterentur, ubi omnes lente convaluerunt.

Anno MDCCLXVIII centum triginta novem morbo laborarunt; sed mitioribus signis,

sex tantum victimæ cecidere. Liceat mihi verba ipsius WATSON infra citare *.

---

* "Watery inflamed eyes, cough, and an universal debility, were the first indications of a person being attacked. To these generally succeeded a restless night. On the next day the fever generally rose to a considerable height, attended with pain and heaviness in the head, at which time the eruptions appeared, so that frequently on the second day the measles were visible on most parts of the body. The cough and inflamed eyes grew worse. The patient now complained of great heat, oppression and restlessness. The breathing was generally difficult, and there was no expectoration. The skin was usually dry; the *fauces* were of a deep red colour, and the tongue most frequently foul. The thirst was great, the pulse was very quick, but seldom full, and they complained of great weakness. The eruption, heat and inflammatory symptoms continued in the manner just now mentioned, more or less, according to the severity of the disease, four or five days, and then went off. In some instances they continued a few days longer, but in the greater number the eruptions were gone at the end of the fourth day. This I consider as the first stage of the disease; the second or last stage of the malignant measles began after the febrile heat was over, and the eruptions had disappeared. The watery eyes in many were now turned to a grievous soreness in that organ, which lasted in some a considerable time; the

Non desunt qui huic optimæ descriptioni fidem derogant et Rubeolam Watsonianam, ut irridentes dicunt, ludibrio habent. Exempla tamen alia ac recentiora, si talem vellemus fovere opinionem, gratissimum menti errorem extorquerent. Pauca etiam Edinburgi quatuor abhinc annis occurrerunt.

CAUSÆ.

CAUSAM Rubeolæ excitantem esse sui generis contagium, jam satis superque constat;

---

cough, oppression, and difficulty of breathing continued equally severe, and sometimes more so than during the eruption, attended with great restlessness, anxiety, and with scarce any expectoration. The thirst was abated; the pulse was quick, but low, and frequently irregular; and the debility in many was extreme, especially if at this period the patient was teazed with purging stools. By this time they were greatly reduced in their flesh. If in this state a delirium came on, it generally indicated that death was not far off."

sed de hujus contagii natura, et de modo quo in corpus humanum agat, nihil adhuc certi aut verisimilis prolatum fuit. Per pulmones præcipue assumi; ut Francisco Home placuit, mihi videtur non improbabile. Quamdiu intus lateat, antequam manifestos edat effectus, parum inter scriptores convenit, ut quidam censent sex vel octo dies; Heberden contra affirmat, decem vel undecim.

Peculiaris corporis conditio et certa anni tempora morbillosi contagii receptioni ac disseminationi favent. Juniores huic magis obnoxii quam ætate provectiores, omnesque habitu corporis pleniore aut labe strumosa magis a morbo periclitantur. Mense Januarii sæpius incipit; ad vernum usque equinoctium vires eundo acquirit; postea sensim mitescit et solstitio aestivo prorsus evanescit. Nil autem vetat quod ullo anni tempore invalescat, dummodo contagium illatum fuerit.

Nihil in re medica certius habemus, quam quod Rubeola, haud secus ac pauci alii morbi, semel tantum in decursu vitae aliquem afficiat; sed cur haec humani corporis dispositio ad contagium recipiendum a morbi actione prorsus absumatur, adhuc sub judice lis est, nunquam forsan componenda. Sunt autem qui, credente BURSERIO, affirmant morbum quædam corpora plus semel affligere. Testatur quoque F. HOME Rubeolam, quæ Edinburgi anno MDCCLII tyrannidem exercebat, haud raro idem corpus bis invasisse: bina hujusmodi exempla semel ipsum curasse, et insuper audivisse quosdam ter morbo laborasse.

DIAGNOSIS.

Rubeolæ similitudinem quodammodo ferunt Variola, Varicella, Scarlatina, Catarrhus.

Rubor oculorum, lachrymatio, humor acris e naribus stillans, sternutatio, tussis sicca, rauca, cæteraque catarrhi signa, quibus nunquam caret rubeola, desunt variolæ; sed in hac gravius afficitur ventriculus, adeo ut Cullenus sagacissimus in definitione dolorem ex epigastrio presso notavit. Ortus, species, diuturnitas ac sequelæ utriusque eruptionis multum variant. In variola tertio die erumpunt, febre protinus cessante, papulæ, quæ plerumque discretæ, turgidæ, circumscriptione circulares, die undecimo in suppurationem et in crustas abeunt, sæpe cicatrices depressas sive foveolas in cute relinquentes.

Contra, morbillosa efflorescentia raro ante quartum diem cernitur, papulæ nunquam non coalescunt, vix eminent, septimo die in squamulas furfuraceas abeunt, nullis in cute foveolis relictis.

Varicella, morbus adeo levis, a rubeola facillime dignoscitur. Haud ita facile secernitur scarlatina. Utrique morbo adest febris inflammatoria; in utroque cuticula quarto die efflorescit, et post tres dies in squamulas furfuraceas abit. In scarlatina tamen maculæ sunt rubriores, latiores, nunquam eminentes, ac absunt signa catarrhi. Huic quoque sæpius quam rubeolæ supervenit hydrothorax; sed cum morbus ad ultimum jam pervenerit, certe supervacaneum erit de diagnosi disserere.

Rubeola incipiens catarrho communi haud absimilis est; sed in antecedente tussi, sicca, rauca, est nescio quid nullis verbis describendum, quod veterano medico verum morbum prænunciat.

Semper tamen et ubique nihil certius, aut tutius erit, quam antea cognovisse quis morbus tum epidemice grassatur.

PROGNOSIS.

De fausto vel infelice morbillorum exitu judicandum est potissimum, ex conditione febris comitantis, ac signis quæ pulmonum inflammationem denunciant.

Febris vehemens, calor multum auctus, pulsus arteriarum durissimi ac validissimi, tussis frequens, molestissima, spiritus perpetuo difficilis; omnia, eruptione facta, graviora signa, diarrhœa diu urgens, raucedo, faciei intumescentia, papulæ tardius erumpentes, plus solito confluentes, nigrescentes, vel subito recedentes; hæc omnia mala sunt. Sin autem morbus solitum servet cursum, levior febris, omnia-

que post eruptionem mitescant signa, tussis minus urgeat, facilior evadat excreatio, liberior spiritus, cutis humida, debitoque tempore papulæ rite desquamentur, nihil est cur malum exitum timeamus.

Juniores quam adulti, tenuiores quam obesi, minus periclitantur.

Mulieres gravidæ rarius abortum faciunt, rubeola quam variola laborantes. "Tales vero," inquit HEBERDEN, "curavi, consuetis "morbillorum malis non mediocriter laborantes, e quibus nemo una partum elisit, aut "propter graviditatem minus prospere e morbo assurgere visa est."

CURATIO.

Morbo hujusmodi nemo, si recte loquimur, mederi potest, nullus qui rationalem artem sibi vindicat medicus, unquam conaretur medicamentis adhibitis rubeolam præcidere. Vestigia ejus tantummodo oportet lustrare, signis quæ mortem minitantur obstare, et quantum fieri potest cavere, ne quid æger detrimenti capiat. Consilia sunt,

1mo, Diathesin phlogisticam amovere.

2do, Symptomata graviora levare.

Vitanda sunt omnia quæ irritant, præcipue calor, qui nunquam non inflammationem fovet, actionemque cordis et arteriarum adauget. Nec tamen incaute admittendum est frigus, quippe catarrho comitanti inimicissi-

mum. "In medio," igitur, ex OVIDII præcepto, "tutissimus ibis."

Nuper tamen medici fide digni affirmarunt, frigus non adeo pertimescendum esse. CURRIE, quem eheu! ante diem atra mors abstulit, aquam frigidam ægris morbillosis terve quaterve affusit, hæque affectiones non solum nihil nocuerunt, sed, ut viro isto sagacissimo apparuit, haud mediocrem opem ægris attulerunt.

Cubiculus ægri temperiei æqualis esse debet, lectusque quo decumbat multis stragulis non onerari; nec tamen necessarium est hunc lecto interdiu detinere, ni postulent corporis languor et debilitas.

Diæta sit tenuis, carnibus omissis, et potiones blande diluentes ad libitum propinentur.

Denique, regimen antiphlogisticum, frigore

forsan excepto, omni cura servare oportet; solvatur alvus purgantibus mitioribus, e. g. phosphate sodæ, mediisque salibus aut enematis emollientibus, pro re nata.

Ad tussim consopiendam, cæteraque catarrhi signa mitiganda, inhalentur vapores aquæ tepidæ, atque adhibeantur demulcentia oleosa vel mucilaginosa, ad fauces internas illinendas; nec tamen tanta copia ut ventriculum opprimant. Opiata adeo ad tussim sedandam somnumque conciliandum utilia, nequaquam morbillosis, donec perstet febris inflammatoria, dare licet. Oculi dolentes miti collyrio astringenti sæpius laventur, umbraculo viridi obtegantur, lumenque simul, quantum fieri potest, evitetur.

Hæc rubeolæ mitiori conveniunt, ægrumque ad sanitatem perducere sufficient. Sed gravior morbus remedia valentiora postulat.

Ad vim vasorum sanguinem vehentium

minuendam, spiritum difficilem expediendum, molestamque tussim consopiendam, nullum adest auxilium promptius efficaciusve quam brachii venam incidere; et in paucis morbis liberius sanguinem detrahere licet. Quo tempore autem morbi optime mittatur, magna fuit lis, nondum etiam composita. Jubent quidam quamprimum eruperint papulæ; SYDENHAM vero postquam decesserint. Aliqui sentiunt non oportere sanguinem in initio morbi emitti ita profuso, ut febris indicare videtur, quia sub finem eveniat pulmonum affectio, ad quam sublevandam non liceret venam incidere, si in initio ægrotus multum sanguinis amiserit *. Attamen pneumonia cum totius systematis debilitate rarissime conjungitur; itaque si plurimum sanguinis in initio detrahatur, non est quod progrediente morbo pneumoniam timeamus.

---

* "Blood-letting," ait Cullenus, "is seldom necessary during the eruptive fever, and may be reserved for the periods of greater danger that are perhaps to ensue."

Omni igitur morbi tempore sanguinem detrahere oportet, si pulsus sint duriores et validiores, multum opprimatur spiritus, tussisque vehementer urgeat, multo magis in provectioribus corporisque plenioris. Haud celandum est HAMILTON, artis obstetricæ in Academia Edinensi professorem, negare se unquam vidisse exemplum in quo opus erat sanguinem mittere; sæpissime, contra, affirmat obesse, febremque hecticam et affectiones hydropicas vel strumosas inducere *.

Mihi etiam, aliisque in hoc morbo curando

---

* "I do not," inquit Professor Hamilton, "deny the "possibility of blood-letting being necessary in the "treatment of this disease, but I have never yet met "with an instance where I found it so. The opinion "thus expressed of the bad effects of bleeding is sup-"ported by the high authority of Dr Parr of Exeter. "In allusion to the possible propriety of that evacua-"tion, he says, no such instance has however occurred "to us in an extensive practice, nor to those from "whom we learned it, whose practice equally long has "been more extensive."

versatioribus, videre contigit ægros quos sine rubore faciei insolito pulsuve frequentiore aut calore corporis aucto gravis dyspnœa urgebat, ad quam levandam minime venam incidere liceret. Sed ex hujusmodi exemplis, non admodum forsan multis, missionem sanguinis morbillosorum haud fas est ex toto condemnare. Prudens medicus semper ad signa morbi instantia respiciet; hisque bene perspectis, conditioni ægri remedia aptabit.

Prosunt vesicatoria. Cathartica vix, aut ne vix quidem, adhibenda sunt; mosque alvum ducendi sub finem morbi, quo reliquiæ, ut vocantur, morbillorum depurgentur, non solum inutilis, sed etiam perniciosissimus, nimis vituperari nequit.

Diaphoretica, adeo a quibusdam decantata, anceps remedium præstant. Balneum calidum, fomentaque calida, vix utenda, nisi ad eliciendam male repressam efflorescentiam. Eodem consilio adjuvant purgantia.

Diarrhœa, vulgo rubeolæ subsequens, si mitior fuerit, nequaquam est compescenda; sed si adeo urgeat ut ægri vires frangantur, ad opiata et astringentia confugere oportet. Optima sunt clysmata anodyna. Si post desquamationem accedat, ex inflammatione intestinorum erythematica oritur. Tunc decet venam brachii secare, ut proposuit SYDENHAM, strenuissimeque GREGORIUS suadet.

Cum, rubeola finita, adhuc opprimatur spiritus urgeatque tussis, venæsectio ac vesicatoria adhibenda sunt, diæta lactea præscribenda, frigusque cautissime vitandum, ne æger phthisi immedicabili corripiatur.

In rubeola putrida, quam descripsit WATSON, summum imo unicum consilium est, obviam ire putredini, et vires ægri sustentare, adhibitis roborantibus valentissimis, vino, scilicet, cinchona officinali, &c.

Quinquaginta amplius abhinc annos Franciscus Home mitiorem rubeolæ formam ope insitionis conciliare tentavit. Quindecim hujusmodi experimenta publici juris fecit. Talia autem haud ita prospere cæteris medicis cesserunt.

Felix ter et amplius genus humanum, si Jenner idem aliusve Rubeolam e numero morborum omnino tolleret, mitiore in locum ejus suffecto! Quantis hunc honoribus, quantis donis cumularent cives! Superstes fama penna metuente solvi per totum orbem pervulgaret nomen, nec ulla memoriam facti aboleret vetustas.

FINIS.